

Heinrich Rahn Joachim Matth. F. Gerdes


De Iure, Iustitia, Et Legum Rom., Aequitate Disputatio

Rostochii: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766231135>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.

Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



9
DE JURE,
JUSTITIA, ET
LEGUM ROM. ÆQUI-
TATE

DISPUTATIO,

Quam

SUB PRÆSIDIO

viri consultiss. & clariss.


HENRICI RHANEN, J. D. &

in Academ. Rostoch. Profefs. P.

publico examini subjiciet

JOACHIMUS Matth. F. GERDES

In auditorio majori III, eidus Aprilis.



ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typograph.

ANNO M DC XXXVIII.

DR 5an.

GENEROSO ET PRÆSTRENUO UIRO
GUILIELMO à Kalcheim/ dicto
Lohausen/ Consiliar. Megapolit. & præsidii
Rostochiensis Præfecto generali.

Joachimus Matt. F. Gerdes
S. P. D.


Magne Heros, jamdudum mihi innotuerat tua Virtus, Sa-
pientia, Humanitas; sed cum te præsentem audire, videre obtigis,
non potui non meminisse illius usutriti:

auget præsentia Famam.

Quo enim me putas, qui sum sapientia & literarum jam à pueris aman-
tissimus, animo te dicentem audivisse? Ego, qui jam plus quàm dimidiam
ætatis partem exegi, nihil opto devotius, quàm illud quod est reliquum
temporis in otio literario contere.

Nonne tum necessariò in mentem audienti venire Juliani ista nun-
quam satis laudata sententia oportuit, qui dixisse fertur: ΚΑΝ ΤΟΝ
ΕΤΕΡΟΝ ΠΟΔΑ ΕΝ ΤΗ ΣΩΡΩ ΕΧΩ ΠΡΟΣΜΑΘΕΙΝ
ΤΙ ΒΟΥΛΟΙΜΗΝ? Illum Sapientia amorem, quo detenta in se-
ram canitiem scimus multa æviternitati consecrata Nomina ex omni an-
nalianum memòria, etiam in Te, generose Dux, confficium contestantur
pretereat tot egregij libri apud te visi. Inter quos ille auctor manu exara-
tus (quales codices auro contra quidam Φιλόσοφοι aestumant) me mire
permulcebat, qui à Te vernaculè conversus aperte indicio est, non solum mi-
litia sagata affeclas Lohausium sibi vendicare, sed qui in Musarum castris
merent jure suo etiam illo gloriari.

Ego verò, quem nunquam antè visum, nec Tibi nisi, ut a jebas, propria
industrià commendatum, humanissimè accipiebas: cui etiam (cum sat se
felicem, si Fautorem Te adipisceretur, censeret) Amicum futurum pollice-
baris, non debui aliter, quàm breviter significare alii, quanto militia Du-
ce, quàm sapiente, justo, & bono Rostochium gauderet. Prosperè civitas
hec ager, quàm diu tuo præstrenue vir, Consilio & Prudentia uti illi licue-
rit. Quàm ipsam, ut & Te, cum omni tua familia supremo rerum Mo-
deratori ex animo commendo. Scrib. Rostochi IV. Non. April. anno Ser-
vatoris nostri ∞ ΙϞ CXXXIIX.





Thesis I.

DE Jure & Justitia, divina Virtute disputaturi, respicimus ad te, sancte Justitiæ Sol; à Te Lucem, à Te Calorem exspectantes. Lucem, ut expellantur omnis e corde tenebræ, quæ impediunt, quo minus mentis viribus penetremus tibi dilectissimam Virtutem. Calorem, ut adfectibus frigidum pectus Veritatis igniculis foveatur & incalescat ita, ut saltem ea scribat manus, quæ tuo verbo, quæ à te immixta hominibus naturali Auræ quadrant.

2. Ulpiani definitionem juris l. i. h. t. qua jus pro scientia & doctrina Juris civilis accipere eum est certissimum, missam facimus, & hoc loco Jus (quod Justitiæ fontem prædicamus, & eâ prius existisse adfirmamus) definimus cum Oldendorpio: *quo Natura omnes homines prima quedam præcepta & formulas honestatis docuit.* Philippus, peritissimus doctrinæ Ethicæ vir, Jus de quo loquimur sic definit: *Quod sit notitia principiorum practitorum & conclusionum ex his extractarum de regendis moribus, congruens cum æterna & immota norma mentis divina, instat nobis divinitus, ut sit testimonium, quod sit Deus, & qualis sit, & quod judicaturus sit, & regat nos, ut congruat obedientia nostra cum voluntate Dei.*

3. Hanc notitiam à Natura, i.e. Deo opt. max. hominum mentibus in creatione inditam, & valde defectu primorum parentum imminutam, non tamen omnino sublatam, longè aliam facimus ab eo, quod Ulpianus hic Jus Naturale describit. Nam Jus illud ipsius Naturale non humani generis proprium est, sed reliquorum animantium quæ in terra, quæ in mari, & in cælo, hoc est, aère (ut loquitur Cajus l. i. § ult. de Acq. R. D.) nascuntur.

4. Nos autem originis nostræ observantiores, feritatem illam moderamur adstrictioribus Rationis frænibus, statuimusque cum magno viro I. Cujac. quæ bruta faciunt incitatione naturali, ea si homines ratione faciant, jure Naturali facere.

5. Ut ut enim vulgò contingat (de qua scævitate conqueritur insignis ille vir, cui libros de vero Christianismo nunquam satis laudatos acceptos ferimus, lib. 1. c. 41.) ut bruto impetu, sive, ut in lib. Tob. c. 8, v. 5. dicitur, more ethnicorum Deum asspernantium nonnulli mortales de plebe ad matrimonium ferantur: alii tamen, si unquam, agunt hic Rationi consentaneè, & istas actiones considerate & prudenter suscipiunt.

6. Ulpianus autem non adeò crassè philosophatus deprehenditur, ut omnem Rationem his in actibus abs homine segregarit, & solis sensibus cum brutis hic commiserit, si quis verba ejus: *Nam jus istud non humani generis proprium*; item, hinc descendit maris & feminæ conjunctio, *quam nos matrimonium appellamus*; accuratè expenderit. His ipsis enim procul dubio indicat, justas nuptias tum demum contrahere homines, cum secundum præcepta ll. coeunt, s. i. Inst. de Nup.

7. Similiter jure illo propulsare injuriam homines, Florentin. l. 3. h. t. docet; quod tamen legitimo modo faciendum, & adhibita Ratione, è l. 1. Cod. unde vi, discimus.

8. Si vero hic Rationi, quæ bruta destituit, locum nullum concesserimus, consequens erit, ut animalium more, bruto incitante & jubente (à jubeo enim jus dici constat) adfectu, invicem nos lædamus, vagis libidinibus dedamus, & ita re vera animalia rationis experitiã præstemus.

9. Illud uti nefandum, & ab ipsa natura humana absolum est, ita lege tertia citat. n. ti. interdicitur.

10. De illis hominibus, qui mero instinctu naturali, feris proprio, agitantur, Apostolus Jud. suæ epif. v. 10. loquitur: *ὅσοι Φυσικῶς, ὡς τὰ ἄλογα ζῶα, ἐπίστανται, ἐν τέτοις Φθείεσθαι.*

11. Hæc cum ita sint, nequaquam eorum subscribere sententiæ quimus, qui hominem, quod ad Jus attinet, annotant adspici & considerari *primò*, ut animal. *Secundò*, ut hominem. *Tertiò*, ut hominem civilem. Equidem in tenera pueritia, cum solis ferè sensibus regimur, vitam animalis transigimus. Sed isti ætati nullæ leges positæ, verum cum homines adoleverunt, iisdem demum parère necesse habent. Hinc severiùs puniuntur adulti quàm minores, hinc etiam in multis Jur. civilis locis his prospicitur.

12. Manet

12. Manet ergo indubitato nobis illud Jus Naturale, quo omnes homines utuntur, & quod naturalis Ratio inter omnes homines constituit, l. 9. h. t. §. I. Inst. de J. N. Gen. & C.

13. Ad hunc purum fontem digitum intendit eminentissimus IC. Vvesembecius n. 14. h. t. cum scribit: *Causam omnem juris, seu ipsum jus Romanum sumi partim ex rata & ordinata, & à vitio secreta communis nature inclinatione, sicut in hoc argumento juris, ratione recta, que jus est, à depravatione adfectuum seceruitur: partim à ratione mentis humana, & immoto, quod in illa lucet, honestorum ac turpius discrimine.*

14. Et de Jure hæcenus, quantum satis pro instituti nostri ratione visum est, egimus. Veniemus igitur ad alteram Disputationis partem, quæ in contemplanda virtutum Regina consumenda erit.

15. Quod in ipso Pandectarum vestibulo Justitiæ tractationem suscepit Imperator Justinianus, inde rectissime Nicæsius de Voërda, quem scribunt ante quartum ætatis annum oculis captum, mirabilis tamè ingenii hominè; in præfat. commentar. in Instit. annotat: *Scientiam jurii subalternari Philosophiæ morali, & subjectum hujus scientiæ idem esse, quod est Philosophiæ moralis, specificatum tamen vel contractum.* Item, quod idem J. C. *Alteri facere, quod sibi quis vult fieri, & alteri non facere, quod sibi quis non vult fieri, esse bonum humanum civile, & cum eo tria juris præcepta convenire, quæ in l. 10. h. t. Ulpia. tradit: Honestè vivere: alterum non ledere: suum jus cuiq; tribuere; quod, inquam, hæc docuerit, opidò gratum nobis accidit.*

16. Verum nos in præsentia à penitiorè consideratione convenientiæ Ethicæ & juris prudentiæ abstrahit ipsius Justitiæ dignitas & necessitas, quæ eò est nobilior, quòd, ut Cicero 2. d. off. fil. testatur, *ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla ejus particula vivere.* Equidem cuiuspiam mirum videri posset, in tam fervente latrociniorum & rapinarum hodie-exercitio vel minimum huic virtuti spaciùm dari; sed non aliter sese habet, quàm Romanorum splendor scribit.

17. Justitiæ vocem commodiùs à Jove, quem antiqui recto casu Jovis dicebant, omnis Juris auctore & quasi patre [*δίκη* etenim *Διὸς ἐκ γοαῖνα*, Hesiodo] quàm à tragica ejulatione *ὦ*, ex qua ipsum

verbum ejulare natum est, descendere, cum accuratissimo Philologo Scipione Gentile credimus, & eos, qui Justitia scribunt, ignorare hanc vocem deinde etiam à justum, justī derivari (nam posteriorem eam, ipso jure de quo agimus, esse, indigitavimus antè) deprehendimus.

18. Definitionem Justitiæ antecedit divisio. Justitiam, ductu Philosophi lib. 5. Ethic. dividimus in *Universalem & Particularem*. Universalis Justitia est Virtus, totam virtutem amplexa. Injustitia universalis è diverso est habitus vitis omnibus inquinatus. Sed hoc differt à virtute Justitia, quoniam justitia respicit alterum, virtus refertur ad neminem.

for p. 34. h. v. dif.
ferent. inter universalem
et partic. in h. v.
et h. 30. p. 40.

19. Justitiæ *particulari* hæc Philosophi definitio l. 5. c. 1. Eth. aptari potest (licet non ignoremus, eum quidem polliceri, nusquam v. exhibere definitionem Justitiæ hujus) qua *justitiam* scribit *animi adfectionem, qua apti sunt ad res justas gerendas, quaque res justas & faciunt, & cupiunt facere. Injustitiam a. habitum, quo injuriam faciunt, & ad res iniquas injustasque ultrò impelluntur.*

Quid hæc sol. definitio
soli competat Barthelemy
Lan. h. v. for p. 55.
h. 47.

20. Aristotelicæ definitioni longè simillima e. Ulpiani l. 10. h. t. quæ *Justitia dicitur constans & perpetua voluntas, jus suum cuiq; tribuendi.*

21. Quæ definitio, cum Logicorum præceptis convenienter scripta sit; nescio cur Dialecticorum exactissimus Rodolphus Agricola lib. 1. c. 5. inven. Dial. eam obtrectet.

22. Etsi autem ob varios casus qui quotidie in juris disciplina incidunt, non videtur posse esse constans, sive, quod judex, qui est homo humanus (verba minimè gentium nostra, sed Accursii confitemur) non est constans in voluntate nec perpetuus: absit tamen, ut vel ideo ullum apicem optimæ definitioni detrahamus, quia habitus semper est idem, & in eo constans, quod in quolibet negotio ad jus suum cuique tribuendum perpetuò respicit.

23. Laudamus quidem doctissimi Dominic. Sotonis consilium, inter vocabula *constans & perpetua* distinguere annitentis; modum autem omninò improbamus. Vult ille, *perpetuum* denotare solum propositum atque intentionem sic operandi; *constans* autem ad-dere ejusdem propositi firmitatem.

24. Sed injuriam procul dubio Jurisconsulti facit sententiæ, & ipsi verborum seriei. Apud Latinos scriptores, inter quos Jurisconsultos

9
consultos veteres Rom. eminere Laurentius Valla, homo aliàs ad
alios arrodendum propensissimus, lib. 3. Eleg. c. lectu dignissimo quo
librum orditur, testatur; apud hos, inquam, oratio crescit, non decre-
scit, & ἐμφαικώτερον sequitur, levius antecedit. Illud exemplis
è Cic. ad famil. epistol. libri non. 14, lib. 13, 47. & ad M. Brutum pri-
mâ confirmare quimus. *Clodius* (scribit Cicero) *valde me diligit, vel,*
ut ἐμφαικώτερον dicam, valde me amat. Non aliter in Ulpiani
definitione factum aut mememus. Perpetuus enim à *περπέτοιας*,
Philologo summo A. Turnebo auctore, derivatur, quod est prævo-
lare. Intendit igitur voluntatis constantiam; sed quæ sit perpetua,
proclivis, facilis ad ea quæ iussa sunt exequenda. Quid pro habitus
descriptione cogitari potest clariùs?

25. Sed revertamur ad Justitiam particularem. Hæc rursus bi-
partita est. *Distributiva, & Commutativa.* *Distributivam* Aristot.
in distribuendo honore, pecunijs, & ceteris rebus omnibus quæ di-
videndæ inter eos sunt, qui in civili societate & communione versan-
tur, spectari docet. Hæc talia enim posse vel æqualiter inter cives di-
vidi, vel inæqualiter. Mens Philosophi est, in hac Justitia proceden-
dum esse proportionem, quam Mathematici vocant, Geometricam.
Commutativam in pactis contrahendisque rebus tanquam regulam
adhiberi ibidem testatur. In hac proportionem usurpandam, quam
itidem Mathematici dicunt, Arithmeticam, Ethicæ peritis no-
tum est.

26. Quoniam ad commutativam Justitiam Aristoteles commier-
cia tam voluntaria quam invita retulit, malumus à multis doctissimis
viris abire, quam vel solum Aristotelem deserere. Hinc adfirma-
mus, pœnas secundum Justitiam commutativam irrogandas pro-
portione Arithmetica, quæ ex asse huic speciei convenit.

27. Magnas debeo viro sapientissimo Conrado Horneio gra-
tias, qui hoc in negotio titubantem confirmavit. Fuit enim, cum
Opinio vulgi animum meum occæcavit, non secus ac Parme-
nonis illius, qui cum ob commissum flagitium audiisset adolescen-
tî comminantem, & futurum ei dicentem ancillam quod moechis
solet: dico, edico, Prætoris more exclamavit, *nostrum illum esse*
berilem filium.

Ego vero quæ rectius sentio
magno

Hor. p. 57 et seq. e
p. 70. lib. 23.

Hor. Dis. 4. H. 36. de
quia hic fit æqualitas
lex rerum ipsatum modi
et mensura.

magno viro me debere antè aiebam, qui in media Germania magnanimè pronunciat: *delicta quæ ex proeresi committuntur, in homine splendido mitius punire, fas non esse, imò gravius plectenda esse, doctissimè demonstrat.*

28. Assimilari igitur Judices in his inferioribus æterno Arbitro, quantum fieri potest, decet, non *περσωπλήπτας* esse, sed æquabili lance in facinorosos animadvertere, ad hoc præstandum multis in locis seriò adhortante sanctè veneranda scriptura.

29. Nunc de Talione, Jure scripto, Æquitate nobis dispiciendum restabat; verum, quia de Jure & Justitia, quoad ansam nobis Tit. primus Pandectarum nobilissimus dedit, egimus, memores prolixiorem hujus materiæ tractationem ad Ethicam pertinere; ultimam Disquisitionis partem aggrediemur in munienda Romana um LL. æquitate constitutam. Siquidem jam dudum innotuit, non deesse, qui non ex omni parte in ipso J. C. volumine responderi iis Ulpiani verbis, quæ digna sunt, ut Augustus liber iis exordium ceperit; aliis persuadete conati sunt, quando Ulpianus verè jactat: *Juris nos merito quis sacerdotes appellet, nam justitiam solimus, & boni & æquis notitiam profitemur.*

30. Cum, ut notum est, Jurisprudentia R. à Justitia deducatur, hoc est, velut rivulus uberrimus defluat à fonte Justitiæ, Jure Naturali; consecrarium maximè est, LL. Romanas Justitiæ esse convenientissimas, & perperam illos agere, qui eas injuriæ insimulant.

31. Videbimus nonnullas, & quidem perpendemus primum, num celebri Scriptor Io. Bodinus rectè desciverit à sacra nostra Themide ob iniquitatem (ut illi visum est in præfatione Theatri Naturæ) legum, quarum prima est, Dig. de Offic. Prætorum. Barbarius. Secunda, Dig. de Minoribus. In causâ. Tertia, ibidem. Locati & conducti. Item si pretio.

32. Sed vana est Bodini Opinio, quod ad primam illam legem spectat, vana ergo etiam ejus conjectura, quæ Barbarius ille dixit, quæ decrevit, nullius esse momenti. Fortassis quia idem Ulpianus Dig. de jurisdictione. Si per errorem. tradit, nihil valere, quæ tali prætore acta sunt, ansam dubitandi de justitia legis laudatæ arripuit. Sed nunquam ideo Themidos cultum deseruisset Bodinus, si ita legem intellexisset, ut eam præstantissimus A. Govean. l. i. c. 6. Lectio. enoda-

9

enodavit, cum rectè monet: *Neque Barbarium communis error præ-*
zorem, ut vulgo creditur, fecit, non enim error, sed voluntas ius facit,
quæ, licet impropriis verbis significetur, si modò de ea aliter constet, ut
lex servatur. hæc ille. Ubi eleganti exemplo ex l. 3. Dig. de supel.
leg. (secutus, credo, Antesignanum interpretum juris lib. 10, c. 13. Ob.)
confirmat: Titii verborum sermonisq; ignari candelabrum argen-
teum in argento, non in supellectile referre soliti, argentum legatum
deberi, non supellectilem.

33. Reliquæ duæ majoris momenti sunt. Quando enim l. 16.
de Minor. Pomponius ait, in pretio emtionis & venditionis natura-
liter licere sese circumvenire, sive, ut in l. locati & conducti Paulo
loqui placet, circumscribere, non aliter possumus, si modo linguæ L.
non derogatum cupimus, quàm fateri, sese invicem fallere concedi,
& decipere dolis. Quod tamen D. Apostolum 1. Thef. 4, 6. vetare,
tu vir summe, Ludoice Charonda, non subterfugis ad legem hanc
palam contestari.

34. Quid faciemus? credemusne Bodinum rectè fecisse, quod
ob harum 11. quæ apparet, *σκληρότητα* 11. Romanas censuerit
ejuscemodi, ut iis nuncium mitteret? Meliora. Ergo nobis neces-
sitas imponitur, injustitiam à nostris 11. declinandi.

35. Olim cogitavi, quia difficulter, testimonio Syracidæ c. 26, 29.
27, 1, 2, 3, mercator ab iniquitate cavere potest, 11. has respicere illud
quod prava consuetudine fit, etsi non jure.

36. In quam sententiam commodè illud P. Syri deflecti posset?
Lucrum sine damno alterius fieri non potest. Ad quem versum Da-
niel Martinius notat. *Hoc sæpè verum est, non semper. In merca-*
turis enim & negotiationibus utraq; pars honestè lucrari potest, ut pri-
vato cum commodo constet publicum. Id, ni fallor, vult; non semper
in emendo & vendendo, ac in contrahendo, v.g. locando, con-
ducendo; necesse esse alterutrum lædi; sed via media (quam
conscientia cuivis dictabit) posse procedi. Quæ opinio tamen,
proh dolor, hodiè tanquam axioma ipsi honestati maximè ad fine,
invaluit.

37. Joan. Oldendorpius, IC. rari exempli, & inusitata religionis,
circumventio, deceptio, scribit, ad rem ipsam referendâ in contra-
ctibus;

etibus, non ad malitiam animorum, seu contrahentium. Idem, nō fallor, quod antea indicabam, intendit, factō fieri, non jure, quod in commerciis circumscriptionibus usus sit.

38. Maximus autem virorum Grotius lib. 2, c. 12, n. 26. d. ju. P. & B. ita mihi hoc in nodo solvendo satisfacit, ut mortalium neminem id potuisse facere melius, nullus dicere dissimulem; verba ejus sunt: *Licere, est non quidem fas esse, sed ita permitti, ut nullum contra proditum sit remedium in eum qui se pacto velit defendere. Naturaliter a. in eo loco, ut & alibi interdum, positum est pro eo, quod recepti passim mori est.*

39. Jam dispiciemus etiam, quomodo paragrapho Duorum Instit. de Nup. sua restitui justitia possit. Hoc fieri dicimus, inserta particula NON, probamusq; ex Institutionum Metaphrasta accuratissimo, cujus Editio anno S. M Lx. Genevæ exensa sic exprimit Latinum. *Δύο ἀδελφῶν ἀρρένων ἢ θηλύων παῖδες ἢ ἀδελφῶν καὶ ἀδελφῆς, ἀλλήλοις ἐ δύνανται πρὸς γάμον συνάψασθαι.*

40. Ut Caji testimonium ē lib. 1. tit. 4. Inst. non arcessamus, vel ipse contextus hic particulam negantem requirit. Respicit etenim §. hæc ad præcedentis ultima verba, ubi concedebatur ejus mulieris, quam pater adoptavit, filix matrimonium. Quæ si quis probè trutinaverit, non poterit inficiari, in hac §. negativam vocem adhibendam. Quorsum enim particula *autem* aliàs referenda, malim à L. L. perito audire, nisi, ut modò adfirmatum, more in jure civili usitato ad antecedentia respiciatur. Postquam ulterius in hæc inquisieram, istis jam scriptis, comperi acutissimo Fr. Hotomano etiam particulam hanc scrupulum iniecit, quem ipsi eximere quidem conatur Christoph. Riccius IC. sed conatu omnino irrito. Veriorem hujus particule usum ab ipso Spiritu sancto discimus ē c. Matt. 20, vers 25, 26. Mar. 10, v. 42, 43. Luc. 22, v. 25, 26.

41. Aliquot quidem leges pro munienda §. objectum iri prævidemus, videlicet 3. & 67. D. de R. N. l. 19. Cod. eo. l. 2. Co. de Inst. & subf. casy et. in l. 79. §. 8. ad Sc. Trebel. l. 23. et 24. de cond. Inst.

42. Sed his ipsis nihil aliud probari potest, quàm, ut Pandectarum Esculapius ad d. l. Celebrandis C. notat, *nup. ias consobrinorum*

Quod lex non vetat hoc fieri vetat pater.

Exempla fiat in Salpudadi filiabus, quæ patriciis nuptiis Num. 36. per. ii in Elezari filiabus quæ nubebant C. i. fil. patris sui filijs 1. Paul. 23. 4. 23. Jacob. ad mandatum parenti. Hæc Gen. 29. 19. 3. dicit d. d. consobrinam sui ab un. patriciis avinenti sui filiam. Gen. 29.

Vel. Bach. Inst. p. 93.

Primum nup. consobrinorum, permiserunt consobrinorum nuptias deinde hinc Ambros. et Av. Inst. vetuit consobrinorum nuptias. Quod apparet ex eisdem ex l. unie. C. de nup. si nup. et de recip. pet. vetuit enim oportet quod non nisi ex specialibus causis petitionem ad receptio induit. Post hæc patris sententiam Av. et Honor confirmant l. 3. de incest. nup. et ubi hinc nuptia inter inestas referunt. in ann. Car. 20. Testis, ut voluit quidam (sed negat Conf. 20. de nup. de superiorum constitutionem de qua iam dicit Av. et Honorii hinc sed eam illis ad (tam) reditum et ad us. veta. et in l. hinc.

rum concessas aliquando fuisse. Videbimus a. in primis, ut non tam
oppositione II. quam locupletibus argumentis evincamus, has nu-
ptias non concedendas esse.

43. Monet Paulus l. 14. D. d. Ri. N. & inculcat idem Modestinus
cap. d. R. ju. 197. in contrahendis matrimoniis Jus Naturale & pu-
dorem inspiciendum esse. Quæ duo certissimi esse testes queunt,
quousque quilibet matrimonia extendere debeat.

44. Et cum Claudius, referente Sueto. c. 15. experiri vellet,
num rectè mulier filium abnegasset, matrimonium cum eo eidem
indixit.

45. Ac licet II. exemplisque ejusmodi nuptiæ licitæ evincerentur;
tamen secundum regulam illam optimam (cujus etsi in matri-
monio usus est præcipuus ad Ictorum sententiam, nihilominus eam
toti juri quadrare, commodè monere potuissimus th. 38.) in conjun-
ctionibus non omne quod licet, honestum esse, putandum est.

46. Quoniam exemplorum facta mentio est, non queo quin
apertè fatear, me valde mirari, doctos viros jure divino licitas has
esse nuptias scribere ad §. n. quia Genes. 29. de Jacobo refertur, eum
avunculi sui filiam uxorem duxisse.

47. Idem enim hi, quod concionatores solent, factitant, cum
divitias idè expetendas & bonas esse persuadere annuntiant,
quia in V. In. de multis sanctis viris narratur, quod opibus
polluerint.

48. Abraham duxit fratris sui Haran filiam Saram, quod veti-
tum esse è ca. XVIII. v. 12, 13. Levi. rectè Theologi eliciunt, cum
filia fratris & sororis cum amita & matertera in gradu secundo
collocentur.

Jacobus duas sorores simul sibi matrimonio junxit, quod illa
ratione, qua is fecit (videatur a. c. 29, v. 30. c. 30, v. 1. Genes.) o-
mninò prohibitum est Levit. 18, 18. Imò concubinas duas super-
induxit Bilham & Silpam, cap. c. v. 5, & 10. quod erat contra In-
stitutionem conjugij primævam, Genes. 2, 24. Id quod elicimus
è Servatoris instructione Matth. 19, 5, 6.

9

pater amita
Sui generis Sui generis
Sui generis Sui generis
Sui generis Sui generis

Obis. cui amita in
tertio gradu coniu-
cta est.

R 2

Ruben

Ruben, Gen. 35, 28. Absalom, 2. Sam. 16, 20. rem habent cum parentum suorum concubinibus, quod interdictum Lev. 18, v. 8. Concubina enim non erca equiparatur.

Amram, Exo. 6, 20. ducit uxorem Jochebed , quam sive exponas uxorem patris, ut Levit. 18, 14. cap. 20, 20. sive amitam, ut in cit. c. 6. interpretes omnes fieri debere contendunt, utrumque vetitum est citatis locis Levit.

Qui omnes, quamvis nondum ll. Levitic. quum ea patrarent, lata essent: nihilo secius e Natura lumine seire & potuerunt & debuerunt, id quod facerent, illicitum, sicut Cain cum fratrem interimeret, id eadem ratione prohibi um seire debuit, quanquam nondum ll. promulgata erant.

49. Manet igitur quod Philippus Melanthon vir immortalis fama Scriptum reliquit: *Non querendum est, quomodo excusandi sint patres, quia sancti non sunt sine vitiis, & omnes omnibus temporibus contagia quedam habemus ab erroribus & vitiis nostri temporis. Quia vero patres vera invocatione Deum colebant in agnitione Redemptoris, & erant fideles custodes doctrinae, & excellabant omnibus virtutibus, & bonam conscientiam alioqui retinebant, tales ne vittegebantur.* Innuere vir maxime pius niti uridem quod Apostolus: quedam in SS. nobis conscripta esse in doctrinam (i. e. ut faciamus) quedam in admonitionem, i. e. ut fugiamus,

50. Quae nuptiae consobrinorum cum jure communi & usitato prohibeantur, c. non debet, de consang. & affin. non est, ut ulla tam probabiles causas esse posse putemus, propter quas ea contrahantur. Plerumque enim haec tales sunt, ut magna habentia (quemadmodum antiqui loqui solent) accumulentur. Qui cum finis matrimonii levissimus sit, parum prospero successu ea matrimonia transigi, experientia observatur.

51. Legem 34. 7. & §. 8. Instit. d. Nup. comprivignorum matrimonia concedentes, magna hodie quidam injuria adficiunt, quasi ea quid permittant quod verbo Dei advesetur, sicuti in Tabula juris divini & humani de gradibus matrimoniorum uberius demonstratum fuit. Quam qui correxit, *nonnulla a p. 107 Lev. jubeo.* est enim correctio illa. Sed reprimam me. Num etenim, quia sic necessitate flagitante (aliam ipse jamdudum novi, particularum istarum non facile

*Barb. Inst. q. 101
et vol. 2. p. 1260.*

~~*Haec explicatio ver. 9. Levit. 18. Patris aut matris hinc filiam ex alio matrimonio
fuit in illa domi h. e. in illa concubina sive fornic. h. e. ex illiusdem contra gentem
ne dicitur quia hinc patris concubinae filiam, ut dicitur in
Levit. 18. Et h. e. nulla prohibetio est h. e. si quis in ea se homo est de germana fornic.
Autem agit putat p. 9. de germana et quaestio vulgi*~~

cile admittendum esse ἀμφότερον) v. 9. cap. 18. Lev. *παρὰ δὲ*
ἑαυτῶν statuitur, etiam v. 10. eam usurpandam consequitur? imo si illo
 tm. legislatorem sic hominem alloquentem inducamus: Tu filii tui
 filia (comma) ET filia tuae filia nuditatem non revelabis; sequitur ne
 inde: ergo filius & filia, à quorum liberis abstinere jubetur avus, sunt
 matrimonio juncti? Avertat Pallas tales Criticos, ne mundissimæ vir-
 gini Philologiae foedæ maculae adspargantur.

52. Hactenus *συναγωγὰς* quandam exhibuimus, quomodo
 Il. Ro. ab omni iniquitate adseri debeant. Quod si præter has alia
 adhuc sunt, quæ timido & imperito. lectori iniquæ videntur, mitiga-
 re illas operæ precium est bonorum medicorum more ita, ut nihil
 ab integris avellatur. Hoc fit addita vel ablata monosyllabica illa
 jam antè tacta particula NON, quæ omnes ferè humanæ vitæ actio-
 nes discescit, quæq; vel posita ubi non debuit, vel omissa ubi poni de-
 buit, cum ipsius mundi exordio plagas magnas dedit, & adhuc dum
 in Scriptoribus dat. Quod cum necessitate rei poscente, & raro,
 & honesto fine interpretes nostri tentant, tu nobis æquior sis, admi-
 rande Lipsi. nam, nisi me omnia fallunt, alibi hæc tibi licentia displi-
 cet, aniam procul dubio præbente Accursio, qui quæ non capit car-
 pit, quæq; non probat, negatione addita aut sublata emendat, non
 approbante subtilissimi judicij Hispano IC. lib. Em. 4. c. 17.

*Alij dicunt v. 9. q. 2. et
 aliam esse: v. 11. q. 2. per
 aliam, vel: p. 11. per
 ad præcedentium conti-
 nationem: Alij de al-
 luma vel adoratione, vel
 quæ ex matre sumpta
 vel alij illegitima vpo-
 re natus sit, hæc caput
 p. 11*

*Vid. Corin. p. 1. p. Non sbb.
 et p. 6. facit. v. ultima veni*

Coroll. *Oldend. de usu. et
 signat. tit. 13. p. m. h.
 161.*

**I. Num secundum probationes, vel conscientiam
 judicare iudex debeat, acriter disceptari solet. Nos
 amplectimur Joan. Oldendorpii sententiam, qui
 communem opinionem (quam Joanni glossatori ad-
 signat) quæ vult probationes esse preferendas,
 scribit esse falsissimam; nam rectissime idem eo loco:
 Conscientiam esse tacitum animi iudicium, te-**

B 3

*Scientia est reum esse innocentem
 Conscientia est statuerè quid de reo faciendum sit*

statutur,

*Off. pres. quia ibi
 vult ut p. præsidem
 qui filium eorum, quæ proba-
 tur, sine dolo et errore gesta
 sunt, intuetur ventus.
 Per contrarium igitur sequendas
 probationes negat, quod per ea
 negotij veritas probatur.*

*Conscientia est
 iudicium, quod iudicij
 participatur de nostris
 actibus moralibus.
 Contra consc. agens ad
 fiat ad gubernandum
 literas de resti. spot. c. omnes
 20. q. 1.*

*Bart. vol. 1. p. 496.
 Horni 153. p. 1. q. 2.
 pro hac opinione h. 24.
 p. 156. et h. 20. p. 153.
 h. tertio.*

*Non ob. lex. 3. §. 1. de
 Off. pres. quia ibi
 vult ut p. præsidem
 qui filium eorum, quæ proba-
 tur, sine dolo et errore gesta
 sunt, intuetur ventus.
 Per contrarium igitur sequendas
 probationes negat, quod per ea
 negotij veritas probatur.*

Contra omnia probat. C. de testib. c. 1.


Statuatur, per quod aut accusatur falsitas, turpitudos
aut defenditur veritas, honestasq; secundum in-
fallibilem Justitiæ à Deo nobis insculptæ for-
mulam. omnia rectissimè. Huc accedit, quod pa-
rum latine loquantur ii, qui vocem conscientia u-
surpant pro cognitione, notitiaq; rei.

2. Si quis contenderet, solo conscientia ductu ho-
minem posse sanctè & sincerè vitam traducere, &
sic sine legibus in terra hac versari, eum ut hominem
magnam vim conscientia esse agnoscentem non durè
reprehendendum censeremus, maxime si ipse semper
in suis actionib. hunc ducem sequeretur. Joachimus
à Beust IC. in libello de arte moriendi c. 3. ^{ὁμοίως} ^ἡ ^{ἴσως}
introducitur Nilum Episcopum in libro præcepto-
rum sic docentem: Conscientia pro lucerna ute-
re in actionibus. Ea enim, quæ in vita bonæ
sunt actiones, quæ etiam malæ, tibi ostendet.
& Thalassium: Magistra, monentem, verax con-
scientia est bona, cui quisquis auscultaverit, abs-
que scrupuli offendiculo permanet. Omnia
probè & piè. Sed ll. scriptarum necessitas poscit, ut
eas sanctas habeamus, &, ubi conscientia hæret,
sequamur. Nam naturales præceptiones (Ol-
dendorpius auctor est gravissimus) quandoquidè
non ita multæ, propter connatam cæcitatem
nostram, colligi possunt; nullo modo sufficiunt
tam


tam variis mundi negotiis: ideoq; non est con-
temnenda Magistratum & bonæ consuetudi-
nis autoritas.

3. *Alternationem Conjunctionum omnibus lin-
guis usitatam, ut rem maximè necessariam & uti-
lissimam admittendam esse, neminem Philologorum
negaturum credimus, licet R. Davidi Kimchio A B-
S U R D U M videatur, quod Disjunctio sit Conjun-
ctio. Alicui Scaligero illud non adeò absurdum vi-
debitur, cum quo ne XXX. Kimchij comparari pos-
sunt. Equidem & Logici absurdum putabunt co-
pulantem particulam (vocem ἐν ἀλάτῃ accipio) vice
fungi disjunctivæ & contra. Verum Criticis usita-
tissimum esse, notum est: Conjunctionis, quæ Prisci-
ano, Donato, aliis, est sexta pars orationis, particu-
las, modò conjungere, modò disjungere, modò, quod
quia latinè nequimus, græcè efferimus, πᾶσα ἀλε-
γούρα. Et id neutiquam clariss. viri Forsterus, AVE-
narius, Schindlerus, Mercerus, Cruciger, N. Pe-
traeus, Buxtorfius, quos aliunde, scio unde, acceptos
mutuos laudat Corrector meus; inficias ibunt.
Quod sicut in filiabus linguæ fit sapissimè pro oratio-
nis circumstantiis: ita & in matre non adeò absur-
dum est, humanam Rationem ^{ἐὐκατα} sese ad variis
istum usum accommodare, cumq; pro rerum
varietate, ut jam inculcatum est,
admittere.*

*ὁ ἀλεγούρα πρὸς
ἑστὴν ἀνάστα ὑπόθεσι
στὴν περὶ τὴν ἀνάστα
ἀλλ' ἔστ. ἰδ. c. 8.*



the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 dem familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 Anno 1615. vagabundus quidam homo co-
 quelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 , poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 u assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudicæ Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-
 nit, ut apud Historicos aliosq; scripto-
 rum inter quæ notissimum est illud Plau-
 ti in forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut è bello rever-
 tencubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4